

CHRONIQUE DE LA CHARTREUSE DE LOUVAIN DEPUIS 1571
JUSQU'EN 1597.

Nous avons déjà donné (XIV, pp. 228-299) la *Chronique de la chartreuse de Louvain* depuis sa fondation, en 1498, jusqu'à l'année 1525. Aujourd'hui nous publions un nouveau fragment de la chronique de cet établissement; nous en devons la copie à l'obligeance de M. Alphonse Jacobs, attaché aux Archives générales du Royaume. Il résulte du texte même de ce document que l'on conservait à la chartreuse de Louvain une chronique complète et détaillée des faits qui se rapportent à son histoire. En effet, à l'année 1579, le fragment que nous donnons ci-dessous mentionne les chroniques des années 1540 et 1561, qui nous sont restées inconnues jusqu'aujourd'hui; et, sous la date du 7 juillet 1571, il renvoie à l'année 1603, qui fait également défaut. Peut-être nous sera-t-il donné de retrouver, un jour, les parties perdues, qui, jusqu'ici, ont échappé à nos recherches.

E. R.

Anno 1571, die 7 julii, obiit nobilis domina D. Joanna ab Harfield, alias Neudigate, Angla, sepulta in choro nostrae ecclesiae inter primum gradum altaris et sedes chori sinistri; supra cujus tumulum positus fuit lapis marmoreus cum 16 armis gentilitiis ab utroque latere ipsius dominae ibidem insculptae cum hac inscriptione :

Matronae genere ac virtutibus illustri Janae ab Harfield, Roberti Dormerii, baronis de Ariscot, viduae, quae, post undecim annorum exilium catholicae religionis causa sponte susceptum,

Lovanii moriens, hoc in loco humata fuit. Illustrissima heroina Jana, ducissa de Feria, et Anna, baronissa de Hungerford, ex Guilielmo filio, antiquissimi Balneorum ordinis in Anglia equite aurato, neptes aviae clarissimae posuere. Obiit anno 1571, 7 julii.

Ceterum hic lapis e praedicto loco translatus fuit ad medium chori, sicut postea dicitur anno 1603.

Hoc etiam anno Dominicus Cannada, Hispanus, ex milite factus monachus, apud nos investitus fuit; et anno sequenti professionem fecit. Postea petiit remitti in Hispaniam et impetravit. Obiit 4 julii anno.....

1577. Circa hunc annum Cartusiani ex Anglia pulsati diverterunt ad nos Lovanium.

Anno 1579, die 2 januarii, scripsit R. P. Bernardus, prior Cartusiae, ad V. P. Petrum de Mirica, priorem Lovaniensem, acriter eum reprehendens, quod primam charitatem erga exules Anglos reliquisset, et monens, de cetero ut prima opera faceret, subveniendo necessitatibus eorum, etc. Habeo literas originales.

29 septembris, obiit V. P. Petrus de Mirica, professus et prior hujus domus; de quo vide plura ad annum 1540, § 2.

Mense decembri, electus fuit a conventu in priorem hujus domus D. Guilielmus Beyerens; de quo vide plura ad annum 1561.

Anno 1586, in octobri, R. P. D. Arnoldus Havens, Buscoducensis, doctor theologus, ex Societate Jesu ad nostrum transiens ordinem, apud nos investitus fuit, et anno sequenti professus. Deinde, post paucos menses a professione, seu initio anni 1588, factus est procurator hujus domus. Anno 1590, institutus fuit prior sanctae Sophiae Buscoducis; anno 1595, translatus ad prioratum Leodiensem; anno 1596, electus in priorem domus Lovaniensis; et rursus, anno 1598, rediit ad prioratum Leodiensem; anno vero sequenti, seu 1599, factus est prior Bruxellensis ac visitator provinciae; anno 1601, absolutus ab utroque officio missus est Ruraemundam;

sed paulo post remissus Lovanium. Postea factus est vicarius domus sanctae Sophiae. Anno vero 1604, electus fuit in priorem domus Gandensis per conventuales, ac tandem, anno 1610, per capitulum generale restituitur in officium visitatoris hujus provinciae; sed paulo post iterum absolvitur ab omnibus officiis per mortem, quae fuit 14 augusti 1610.

Anno 1587, D. Philippus Van Belle, Brugensis, investitus fuit, et anno sequenti professus. Anno..... factus est sacrista; anno vero 1595, procurator hujus domus. Deinde anno 1596, institutus fuit rector Leodii, et sequenti capitulo confirmatus in priorem. Absolvitur anno sequenti per visitatorem, et fit vicarius domus Capellae. Anno 160 . . , fit iterum procurator Lovanii per annum aut circiter. Deinde absolutus vixit ibidem religiose usque ad obitum, qui fuit 29 septembris, scilicet in festo sancti Michaëlis, circa horam tertiam mane, anno 1629.

Circa hunc annum, Cartusiani Angli Lovanio migrarunt Antwerpam.

Anno 1588, apud nos investitus fuit D. Everardus Van den Watere, Buscoducensis; sed post annum probationis recessit non valens ferre, ut dicebat, nostrum ordinem. Factus deinde Franciscanus, bene et religiose se habuit, factus vicarius, guardianus et pater monialium.

Anno 1590, investitus fuit apud nos D. Joannes Cooman, Mechliniensis, et anno sequenti professus. Anno 1595, factus est procurator Lovanii, deinde Lyrae. Obiit hospes in cartusia Bruxellensi, anno 1606, die 13 maii.

1591. Circa hunc annum Cartusiani exules Angli Antwerpia migrarunt Mechliniam.

Anno 1593, die 21 octobris. D. Joannes Baptista Danielis, Antverpiensis, apud nos investitus fuit, et anno sequenti professus. Anno 1595, in sabbato Pentecostes, ordinatus fuit in sacerdotem, et paulo post factus est sacrista; deinde, anno 1597, procurator hujus domus; anno 1601, prior Lyrae; anno 1604, prior Brugis; anno 1610, prior Lovanii; anno 1615, per capitulum generale fuit absolutus.

Anno 1595, D. Melchior Caroli, Lewardiensis, Lovanii investitus fuit, et anno sequenti professus. Fuit sacrista hujus domus; deinde, anno ..., procurator domus sanctae Sophiae, Silvaeducis, et postea domus Diestensis, ac postremo Brugis apud moniales. Anno..., electus fuit in priorem domus Capellae; sed electionem non consentiens, magna instantia effecit, ut alius eligeretur. Obiit apud praedictas moniales peste, anno 1625, die 3 augusti.

Circa idem tempus D. Bartholomaeus investitus ac professus fuit. Hic fuit vicarius monachorum Brugis anno...; deinde, anno..., domum rediit, ac postea, anno..., factus est procurator domus sanctae Sophiae.

Anno 1596, D. Guilielmus Beyerens, professus et prior hujus domus, tactus apoplexia, absolvitur, mittiturque Leodium ad recuperandam valetudinem, et in locum ejus electus fuit a conventualibus D. Arnoldus Havens, professus ejusdem domus Lovaniensis ac tum prior Leodiensis.

Anno 1597, 21 octobris, D. Aegidius Theodorici, Bomme-lensis, investitus fuit et sequenti anno eodem die professus. Anno... factus est sacrista; anno vero.... procurator domus Diestensis. Absolutus anno..., domum rediit, ubi et obiit anno 1613, 12 augusti.

1 novembris, D. Joannes de Steelandt, Hulstensis, apud nos investitus fuit, et anno sequenti, eodem die professus. Anno 1601, factus est procurator domus Bruxellensis; deinde, anno... Diestemii; anno vero..., per generale capitulum institutus prior domus sanctae Sophiae, Silvaeducis, et inde translatus per idem capitulum anno 1608 ad prioratum Leodiensem, ubi absolutus fuit per patres commissarios anno 1609, et factus vicarius domus Diestensis. Anno demum..., rediit Lovanium.

Eodem die et anno quo supra, D. Joannes ab Emmichoven, ex territorio Bommelensi, ex duce quondam militum dux et pater futurus monachorum, investitus apud nos ac professus

fuit. Hic anno 1601, die 25 novembris, factus est procurator hujus domus; deinde, anno 1604, per capitulum generale prior institutus domus Lyranae. Anno vero 1608, electus est in priorem hujus domus, suffectus nimirum patri Herculi Winckelio, tum instituto per generale capitulum in priorem domus Bruxellensis. Anno 1610, ipso die Cinerum, institutus fuit prior dictae domus Bruxellensis, et visitator hujus provinciae. Anno 1614, ordinatus fuit prior domus sanctae Sophiae Sylvaeducis, et convisitator provinciae. Denique anno 1627, per capitulum generale ad suam magnam instantiam raro exemplo misericordiam sepius implorata tandem obtinuit, sub praetextu quidem senii ac infirmitatum suarum, sed re vera amore quietis et solitudinis, qua nihil illi jucundius atque desiderabilius.

Manuscrit n° 771a, aux Archives générales du Royaume, à Bruxelles.

LA FONDATION DE LA CHARTREUSE DE LOUVAIN
ET LES PRIEURS DE CE COUVENT JUSQU'EN 1762.

Nous donnons, d'après PAQUOT, *Fasti academici manuscripti*, l'histoire de la fondation de la chartreuse de Louvain, ainsi que la série des prieurs du couvent jusqu'en 1762. Cette notice peut servir de complément aux deux fragments de la chronique de ce monastère que nous avons publiés précédemment.

E. R.

Cartusiani fundum suum Lovanii acceperunt anno 1486, loco solitudini apto in parocchia sancti Jacobi, haud procul urbis moeniis, liberalitate Walteri Watelet, alias Henrici, praepositi ad sanctam Aldegundem Malbodii (*Maubeuge* in Hannonia) et scholarchae ad sanctam Gudilam, Bruxellis.

Fuerat is quondam cantor et sacellanus Caroli, Burgundiae et Brabantiae ducis. Fuit et canonicus Lovanii ad divum Petrum, ubi festum recollectionis festivitatum Virginis Matris instituit.

Praeter alia aliis dona, quatuor terrae jugera et pecuniam aliquam fundandae Lovanii cartusiae reliquit, reique administrationem commisit Henrico de Duyvelandt, priori cartusiae ad sanctam Catharinam haud procul Antverpia, qui novae coloniae incolas anno 1491, mense octobri, tres submitit. Decessit fundator anno 1494, pridie nonas decembris (non viij eidus, ut alicubi Valerius Andreas). Accessit deinde aliorum pietas: Joannis Overhof, civis Antverpiensis; Margaretae, quondam nuptae Carolo, Burgundiae duci; Aegidii de Platea, Hannoniae in dioecesi Leodiensi, cui tunc suberat Lovanium, archidiaconi; Nicolai Dreyser, sacerdotis; Gasparis de Kinschot, gymnasiarchae ad Falconem; Simonis de Slusa, praepositi Machliniensis et Ultrajectensis; Francisci Buslidii, archiepiscopi Vesuntini; Walteri Zielens, Sylvaeducensis; Catharinae Absaloens; Walteri et Gisberti Gillis, mercatorum Antverpiensium; Nicolai Ruter, episcopi Atrebatensis; Petri Coelkies, Antverpiani; Joannis, domini de Bergis.

Primae duae cellae anno 1492, ultima seu vicesima prima anno.....

Coemeterium a Joanne, Cyrenensi episcopo ac suffraganeo Leodiensi, consecratum pridie nonas septembris 1492. Templi fundamenta jacta die 30 maji anni 1498; tectum opertum post biennium, tum anno sequenti perfecta camera seu testudo, omnia fere sumptibus Gisberti Gillis, Antverpiani mercatoris. Templum, divae Magdalenae sacrum, consecravit, 18 julii 1501, Libertus, episcopus Berytensis, cum Joanne, episcopo Cyrenensi, suffraganeus uterque Leodiensis.

Clausura monachorum absoluta anno 1504, eodemque [domus] incorporata ordini. Non facile majorem aut speciosior rem alibi videas ambitum; is, fenestris ... cinctus, est iconum